CLEMENS PP. XII.

Venerabilis frater, seu dilecte fili Salm, et Aplicam ben. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filij Senatus, et homines Pagi, seu Cantonis Subsyluaniæ Superioris in Helvetijs Constantien. Dioec. Provin. Moguntin.
quod eiusdem Pagi, seu Cantonis agri, possessiones, ac territoria à copiosa insectorum, Spondyles vulgariter nuncupator, aliorumque forsan animalium nociuorum multitudine ita infestantur, ut maximum
inde Vnitatibus, et hominibus dti Pagi, seu Cantonis, ac Territoriorum huiõi Incolis damnum proueniat. Cum autem præmissa ob aliquam occultam maledictionem, aut censuras Ecclicas à ptis Vnitatibus,
et hominibus, ac Incolis, aut aliquibus ex eis forsan incursas euenire possint, et ad Diuinam in primis clementiam confugiendum sit. Nos diuinam iram peccatis hominum promeren. quotidie crescentem tunc
maximè placari posse censentes, cum in publicis necessitatibus contrito corde diuinam opem supplices exoramus, Fraternitati tuæ frater Episcope, seu discretioni tuæ fili Officialis per pntes iniungimus, ut per
te, uel alium in Dignitate Ecclicâ constitutum à Te deputan., Vnitates, et homines, Incolasque ptos nro nomine in Dno moneas, et horteris, ut præterita reminiscentes, ac pntia, et imminentia damna consideantes, ad Deum deuoto, et contrito corde conuertantur, ac peccatorum suorum veniam humiliter petentes, Spualibus, et temporalibus præsidijs, ac assiduis charitatis operibus, et humilibus Supplicibus suam
fidem Catholicam, et Spem Sanctam perueniendi ad gloriam æternam, et charitatem in Deum, et proximos necessariam augere satagant. Porrò ut diuinam gram, et peccatorum veniam, necnon id, quod
nunc maximè postulant, promereri valeant, cælestes indulgentiarum thesauros, quorum dispensatores in terris à Dno constituti sumus, illis elargiri decreuimus. Igr eidem fraternitati tuæ frater Epe, seu discretioni tuæ fili Officialis committimus, et mandamus, ut indicto triduano jejunio in Pago, seu Cantone pto, et factâ aliquâ publicâ processione arbitrio tuo indicendâ, aliquâ publicâ eleemosyna in pauperes erogata,
Vnitates, et homines, Incolasque ptos à quibusuis maledictionis, alijsque censuris, et pœnis Ecclicis etiã contentis in Bulla die Cœnæ Dni legi consueta per eos, aut eorum antecessores ignoranter forsan incursas,
auctê aplicâ, hac uice dumtaxat per Te, seu alium deputan., ut ptur, absoluas, ac eos, eorumque personas, agros, possessiones, et bona quæcumque ex parte Omnipotentis Dei, et nrâ benedicas, insectis verò, alijsque
animalibus huiõi, seu Spiritibus immundis eis in damnum eorumdem Vnitatum, hominum, et Incolarum utentibus, ne agros, possessiones, et bona præ perturbent, seu infestent, aut vnitatibus, hominibus, et Incolis
ptis nocumenta aliqua inferant, sed fugiant à facie Sacrosanctæ Crucis, quam illis ostendes, et maleficia sua ad gloriam Dni Nri Iesu Xpi relinquant, ex parte eiusdem, et nrâ præcipias, et mandes. Ac præterea
omnibus utriusque sexus Xpifidelibus verè pœniten., et confessis, qui Dominica, aut alia die post expletum ieiunium à te statuen. SSmum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, et Ecclam à Te prescriben. deuotè
uisitauerint, ibique pro auertend. huiõi calamitatibus, et aliàs prout unicuique suggeret deuotio pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Dno auctê nrâ aplicâ concedas. Non obstan. Constonibus, et Ordonibus aplicis, cæterisque contrijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XVIIJ Aprilis
MDCCXXXIJ Pontus Nri Anno Secundo

F. Card. Oliverius